M. MARCVS FRYT-
SCHIVS LAVBANVS,
Candido Lectori
S.

QVisquis es, & medicam non plane reſpuis artem,
    Hunc ſtudioſe librum (ſic quia dignus) ama.
Qui nouus egrediens vitio purgatus ab omni,
    Liberius Clarias geſtit adire domos.
Curio fatidici decus inſuperabile Phœbi
    Edidit hoc plenum frugis & artis opus.
Vlnis ipſum igitur complectere vtriſq; iuuentus,
    Ac bene de merito dic bona vota viro.
Nam quibus inſtructus ſine morbis membra tueri
    Poſſit homo, liber hic dogmata certa tenet.
Magnanimo Anglorum regi quæ dedita quondam,
    Iam renouata tibi Teutonis ora vides.
Tuque cohors iuuenum, teneris quæ protinus annis
    Sedula das operam verba Latina loqui,
Incolumem, moneo ſi geſtis ducere vitam,
    Membrorumque cupis proſperitate frui:
Curio mane tibi, tibi Curio nocte legatur,
    Non imitabilis eſt abſq; labore labor.
Exiguum certe, quo pagina venditur, as eſt,
    Quæ diſces, magnæ commoditatis erunt.
Nam docet, affectus qua ſint ratione regendi,
    Omnis ab exceſſu ſemina morbus habet.
Vini, epulique modum præſcribit. Cypridis vſum
    Temperat, & quæ ſint ſana lauacra monet:
Cum corpus nimio repletum ſanguine turget,
    Inciſis venis euacuare iubet.
Veſper ait ſomnum capiendum, namque diurno
    Tempore qui dormit, multa pericla ciet.

Inſcius

AD LECTOREM.

Inſcius in febrim dilabitur, atque catarrhum
Colligit, & toto corpore languet iners.
Hic quoque certa leges anni diſcrimina: namq;
Diuerſos radios ardor & algor habent.
Non eadem Veri, Meſſi, Autumnoq;, Hyemiq;
Conueniunt, tribui vult ſibi quodq; ſuum.
Quid ſibi quodq; velit, quid qualibet exigat ætas,
Curio monſtrabit ſi tibi lectus erit.
Si ſapis ergo, moras tollens ſtudioſa iuuentus,
Hunc tibi emes (paruo venditur ære) librum,
Inſuper Autori, grato pro pignore, fata
Optabis Pylio non citiora ſene.
Sic tibi non deerunt qui ſcripta ſalubria condant,
Materia ingenijs conueniente ſuis.
Hiſce vale, atque bono feliciter vtere ſeclo,
Caſtalium ad fontem iam via trita patet.
Tempora quæ forſan ſubito ventura ſequentur,
Non ita fœcunda conditionis erunt.
Si ſapis ergo, tibi hac quos porrigit, arripe, crines,
An bona vel mala ſint ſecla futura latet.

EIDEM HENRICVS SPINÆVS Bercizenſis, S.

QVod male curarent homines languentia membra,
Viderat ex alto pulcher Apollo loco.
Tertius exclamat, quæ morbis quæritis ægri
Pharmaca mortales? quæ medicina datur?
Tenditis in mortem tali ratione medendi.
Corruit, & labens non reparatur opus.
Reſtitui in melius ſi vultis corpora læſa,
Viuendiq; frui commodiore via:
Huic operi vigiles oculos imponite claro,
Voluite tam doctum tempus in omne librum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-30710-p0019-7

AD LECTOREM.

Diſcitis hinc certas medicandi ſaucia leges,
Integra quoue modo ſit retinenda ſalus.
Præſtitit hoc artis medicæ tibi Curio Doctor,
Curio Apollinei gloria magna chori.
Extendi vitam qui longum vultis in æuum,
Curio Tithons, dicite, viue diu.

ODE M. LVDOVICI HELMBOLDI MVLhuſini.

NVlla vis virtusq; manet perennis,
Rebus his, quæ viribus extruuntur
Corporis: quæ mens operatur omni
Tempore durant.
Nunc ager, vel ſylua, vel eſt rubetum,
Quod fuit quondam Phrygii aula Regis,
Arx ſit econtra modo Caroleæ,
Quod ſeges olim.
Firma ſunt, fidemq; ſibi tuentur
Nomen & famam documenta, quorum
Autor eſt Phœbus ſine honore nunquam
Commemorandus.
Vtilis res eſt medicina, totum
Suſtinet mundum: niſi ſalua namque
Membra ſint, præceps domui vniuerſæ
Turbo minatur,
Claret idcirco Podaliriana

Fama,